Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1781
Quelle:
Copyright:

fratres predicatores ad gratiam et gremium vniuersitatis redierint et recipiantur, ipsi fratres in omnibus actibus scolasticis, processionibus et alijs honoribus eant vltimi, qui alios in honore precedebant. Et sic ordo eorum hic in francia videtur esse quasi destructus, et timeo, quod temporibus nostris ad suum honorem numquam poterunt releuari. Hec sunt que pro nunc scribenda occurrunt. Si aliqua sunt noua, mihi rescribatis precipientes michi vobis in omnibus obedire parato. Literae hae, quas ad *Nicolaum de Dünkelspühl* datas existimo, ad ea illustranda valent, quae de turbis his *Caes. Egass. Bulaeus* et *Steph. Baluzius supracc. Nat.* item *Alexander Hist. Eccl.* T. VII. c. 3. *art.* 23. *Jac. Quetifus Scriptt. O. P.* T. I. p. 691. *Jac. B. Bossuetus* in *Def. Declarat. Cleri Gallic.* P. II. p. 102. tradidere.

Fol. ult. Codicis nostri p. 2. superscriptum reperio: *Hic liber est Cenobij sancte marie virginis alias Scotorum Wyenne.*

CCCCLI.

173 Codex chartaceus lat. Sec. XVI. Folior. 22. f. inscriptus est: *Ad Serenissimum Romanorum, Hungariæ, Bohemiæque &c. Regem &c. Ferdinandum. Præparatoria pro catholica unione regni Bohemiæ.* Autor est *Job. Faber* post Episcopus Vienn. et initium: *Serenissime pientissime, ac clementissime Rex. Hanc piam sanctam, et per omnia salutiferam cogitationem* &c. Opusculum hoc, sed imperfectum, *Cod.* DCCCCLXVII. adnotatum fuit; dignum autem omnino est, ut totum perlegatur.

II. *fol.* 23. *Summarium Scripturarum Serenissimo Romanorum, Hungariae, et Bohemiæ &c. Regi Ferdinando datarum, pro unione religionis in regno Bohemiæ. Per Johan. Fab. Episcopum Viennensem. Anno salutis nostræ* XXXVII. Sunt tituli XXIII. Scriptorum, quorum plura ex *Actis Concilii Constant.* excerpta sunt, alia in *Codd.* quos *Adversaria Job. Fabri* diximus, leguntur.

CCCCLII.

Codex chartaceus lat. germ. 96
Sec. XVI. Folior. 171. f. ex quibus plurima pura sunt, continet *Job. Fabri Leutkirch. Suevi Episcopi Vindobon.* et *Ferdinando I. Imp. a Consiliis et confessionibus* ✠. 1541. *Adversaria* ad coorta tunc temporis *Religionis dissidia* spectantia, partim idiographa, partim aliena manu descripta, cum latina, tum germanica. Operimento adglutinata est *Donationis formula* excusa, qua Codicem hunc post mortem suam ad *D. Nicolai Collegium* a se Adolescentium in literis educationi fundatum transfert, huicque similis chirographa manu *Dionysii Sperlin* in voluminis principio et fine extat. En rerum seriem.